



RECTOR *Instit. 13*

ACADEMIAE VITENBERGENSIS

GEORGIVS STEPHANVS

WIESAND *1777*

IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR PROFESSOR INSTI

TUTIONVM ORDINARIVS CVRIAE PROVINCIA

LIS SCABINATVS ATQVE COLLEGII IVRE

CONSVLTORVM ASSESSOR *75*

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D

ET

AD SACRA PENTECOSTALIA

PIE CELEBRANDA

INVITAT

IN EST DE CEREO PASCHALI

RECTOR
ACADEMIAE VITIMBERGENSIS
GEORGIVS STEPHANVS
WISSAND
VIRI VTRIVSQVE DOCTOR PROFESSOR INSTI
TUTIONE ORDINARIUS CIVITATIS PROVINCI
LIS SCABINVS ATQVE COLLEGIJ VIRE
CONSULTORVM A S S E S S O R

AD SACRA FACULTATEM

DE
CEREO PASCHALI

Aerae Dionysianae minus adcurata ratione fieri, ut multi adhuc in uero nati Christi anno inuestigando studium et operam ponant, lectoribus nostris cognitum est e nouissima nostra exercitatione, sub finem praeteriti anni edita, *) cui scribendae locum dedit Cel. Magnani de isto argumento libellus. Sed hanc aeram Saec. VI. inuentam a Dionysio, et hodie ab omnibus Christianis usurpatam, nemo existimare debet, statim ab illo ipso tempore ubiuis receptam inualuisse. Nam Constantinopolitanos quidem veterem seruasse morem, ut anni principium ducerent a Kalendis Septembribus, ex Cedreno, Pachymere, Menaeis aliisque libris Graecorum liturgicis intelligitur. Ac ne in Occidentis quidem praecipuis terris aeram hanc medio aeuo admissam deprehendimus. Tum enim obtinebat in quibusdam prouinciis, ut annus inciperetur a festo Martini: unde postmodo est nata consuetudo auspiciandi annum ecclesiasticum a prima dominica Ad-

A 2

uentus,

*) Exercitat. in nouiss. litern de nati Christi anno, festo natiuit. Iesu 1776.
P. P.

uentus, quarum eo tempore sex ante festum Natiuitatis Christi numerabantur. Aliae autem Occidentis regiones morem sequebantur antiquorum Romanorum, ut annum auspicarentur a Kalendis Martiis: qui mos in ipsis Pontificum Romanorum literis compluries frequentatur. Nec minus receptum erat illo tempore, ut a die xxv. eiusdem mensis Martii caperetur anni initium, h. e. ab incarnatione Christi, qua designabatur conceptio eius, non, ut nuper quidam uir doctus putauit, natiuitas.^{b)} In Gallia, ubi sero ualde, id est anno demum MDLXIV. a Kalendis Ian. principium anni constitutum est, annum a Paschate inchoarunt. Sumebatur autem apud hos antiquiore aetate initium anni a Paschate *σαρωσμου*, quod ipsi trabeationis dicebant, h. e. crucifixionis: c) post ea uero a die primo Paschatos *αυα-σαωμου*, in quo die rite definiendo tam adcurati fuerunt, ut eius initium a consecratione *Cerei Paschalis*, quae fiebat in festi Vigilia, computarent: id quod haud ita pridem bene obseruauit *Clariss.* DE CHEVRIERES, tabulario Principis Monacensis in Gallia

b) *Celeberr.* VHLANDVS in *Thesibus inaug.* de uero nati Christi anno *Tubingae* P.-P. quas in proximo nostro Progr. plus semel excitauimus, ita scribit, et quidem in thesi ultima: aeram Dionysianam diu auctori, tanquam privati hominis sententiam, relictam fuisse: primum adhibitae huius aerae exemplum Saec. VIII. haberi in synodo Carolomanni Germanica, ubi sub initium haec legantur: Ego Karolomanus, dux et princeps Francorum, anno ab incar-

natione Christi DCCXXXII. Kal. Mai. cum concilio seruorum Dei et Optimatum meorum, Episcopus qui in regno meo sunt — — congregaui. Sed his uerbis: *an. ab incarnat. Chr.* quae leguntur etiam in *Concilio.* ex edit. COLETI T. VIII. pag. 27C. non natiuitas Christi, a qua Dionysius annos computauit, sed dies XXV. Martii indicatur, ut tum in Germania et in prouinciis ad Rhenum, ubi ea synodus habita creditur, computari solebat.

c) GAE.

Gallia praefectus. ^{d)} Alibi denique initium anni perhibetur et ductum et adpellatum a Pentecoste fuisse. ^{e)}

Iam CEREI PASCHALIS ritus, a quo diximus apud Gallos noui anni exordium quondam capi solitum fuisse, talis est, de quo et iucundum et utile possit esse nonnulla disquirere. Nec profecto id alienum est ab hoc tempore, quo CARISSIMOS CIVES nostros ad pie celebrandam *Pentecostes* sollempnitatem inuitamus.

Non enim fructu caret ad ueram animi religionem augendam, uidere, quomodo primum innoxius *Cerei* ritus, per Vigiliae Paschalis, et sigillatim eius, quae a Constantino M. reddita est lucida, sollempnitatem inuectus, ut ad primorum Christi resurrectionis testium cogitationem, sepulcrum illius nondum fugata penitus nocte inuisentium, suam quisque memoriam excitaret, progressu temporis, partim Gentilium exemplo, Kalendis Martiis nouum ignem Vestae sacrantium, partim fraude Graecorum de lumine sancti sepulcri mentientium, degenera-

A 3

uerit

c) GREGOR. TVRON. *Hist. Franc.* L. X. p. 514. edit. Ruinarti, et FREGARIVS pag. 703. edit. eiusdem.

d) Prodiit eius libellus Parisiis 1775. ita inscriptus: *Le nouvel Archiuisle contenant une nouvelle methode de ranger un Chartrier dans l'ordre chronologique*, ubi probe monet, hanc rationem incipiendi noui anni a consecratione *Cerei* Paschalis in Peruigilio Paschatos, parere confusionem et incommoda innu-

mera in Diplomatis, ut nonnunquam unus mensis, uno in anno, bis locum habeat: quod fatum habuisse mensum Aprilem anni MCCVI. Quare in bello exhibet regulas, quae adhiberi possint ad tollendas illas difficultates.

e) Anni auspiciu ritibus Pentecostibus adnumerat MICH. HOYNOVIS in *diff. hist. de Festo Pentecostes* Regiomonti P. P. §. XIII. adfertque in eam rem sententias I. B. *Casalii* et *Ios. Scaligeri*.

uerit paullatim in superstitionem et maxime inanes ceremonias, recte abrogatas illas a Maioribus nostris, quo tempore ab iis ecclesia est ad primitiuae simplicitatem ac ueritatem diuino auxilio reformata.

Itaque licebit nobis in praesenti tempore indulgere amori nostro harum rerum, et de CEREOPASCHALI, re ab ecclesiae romanae scriptoribus plurimis fusc lateque descripta, f) nec a nostri coetus doctoribus neglecta, breuiter strictimque commentari. s)

CEREVM PASCHALEM adpellant columnam e candidissima cera confectam, quae antiquitus in peruigilio Paschatos publice accensa in templo ardebat, diei resurrectionis dominicae

tigeri. Ac recte quidem, propter continuam illam in ecclesia uetere per quinquaginta dies a Paschate sollempnitatem, quae Pentecoste Veterum s. *Quinquagesima Paschalis* adpellatur: de qua commemorari me Lipsiae an. 1752. libellum academicum scripsisse. Hinc puto in magnis ecclesiis nonnullis receptum fuisse morem, ut idem Cereus, singulis diebus dominicis a Paschate ad Ascensionem Dominicam, in quibusdam ad Pentecosten, sollempniter accensus arderet.

f) Ex antiquioribus de hoc ritu agunt *Officii diuini Scriptores*, qui maximam partem a MELCH. HITTORPIO collecti et editi sunt Parisiis 1610. ut ALCVINVS de Offic. diu. in Sabbatho sanctae Paschae p. 256. AMALARIVS Diac. de ecclesiast. offic. l. I. c. 18. AVCTOR *Micrologi* de eccl. obseru. c. LIII.

WALAFRID. STRABO de rebus eccles. pag. 113. in COCHLAEI *antiq. Autt. Missae.* RHABANVS MAYRVS de *Institut. cleric.* l. 2. Opp. per Coluener. editor. T. VI. pag. 24. ORDO ROMANVS cuius collectio habetur Tomo II. *Musei Ital.* a IOH. MABILONIO adornati, praecipue p. 371. Operose Cerei Paschalis benedictionem explicat RVPERTVS TVIT. de *Diu. Offic.* l. VI. c. 27. Opp. ex edit. Mogunt. T. II. pag. 810. dicens ipsam cereum significare Christum reuiuifcentem, eius corpus s. humanitatem, ceram, deitatem lumen, columnam ignis praerire transeuntibus per mare baptisimi etc. Superat TVITIENSEM interpretationibus mysticis ad minima quaeque descendens GVIL. DVRANDVS *Rationali diu. offic.* l. VI. c. 80.

E recentioribus Scriptoribus agunt de *Cereo*

cae praenuntia. Deinde mysticarum significationum opinio, et uariae benedictionum molestae ceremoniae et inuenustae accesserunt. Hodie quidem in ecclesiae romanae Sabbatho Magno accenditur de nouo igne, quem dicunt, et praescriptarum formularum recitatione a diacono consecratur. Videas talem cereum uaria elaboratum et exornatum arte et candelabro columnae formam prae se ferente impositum. Habemus eius figuram in antiqua pictura *Sanblasiana*, quam *Celsissimus Abbas*, MARTINVS GERBERTVS, exhibuit: ubi cernitur columnae impositus haud procul ab ambone, in quo stans Leuita *Cerei* benedictionem de laterculo decantat. ^{h)})

Ergo

Cereo isto DOMINICI et CAROLIMACRORVM Hieroleicon ex edit. Rom. 1677. in fol. p. 141. CAIET. MARIA MERATVS in Notis ad GAVANTI *Theaur. sacr. rit.* editum Romae an. 1737. a pag. 1135. ad 1161. PROSP. LAMBERTINVS qui postea fuit Benedictus XIV. P. R. *de Iesu Christi matrisque eius Festis* ex lat. Vers. Patav. 1752. in fol. pag. 167. et 170. Non uidi BARNABAE ERISONII librum singularem de *Cereo Paschali* memoratum a Valerio in Not. ad Eusebium. Etiam per multa hac pertinentia habet IOS. MARIA SVARESIVS libello: de *Agnis Dei* p. 77. Longe plura autem exhibet EDM. MARTENE *de antiq. Eccl. Ritibus* ex edit. ANTWERP. uel potius Mediolanensi in fol. Tomo I. p. 208. T. III. p. 408. 428. 436. 443. et T. IV. qui est in hac editione *de antiq. Monachor. Rit.* p. 362. et 405. seqq. Placet praecipue

expositio *Cerei Pasch.* quam dedit LEODEGARIUS MAYER in *Explicat. litteralis historica Ceremoniarum ecclesiasticarum* Tagii 1737. edita P. III. c. 10. p. 474. — 480.

g) Exstant peculiare de hoc argumento nostratum Commentationes, ut PHIL. GROSGEBAVERI de *Cereis Paschalis*. IOH. ANDR. SCHMIDII *Progr. de Cereo Paschali* Helmst. 1698. P. P. qui tamen ex Macrotrorum Hierolexico fere omnia exscripsit. Agunt de eo etiam IOH. FAES in libro *de Cereis Baptismalibus*, pag. 166. et CASP. CALVOER *Ritualis Ecclesiast.* Tom. II. p. 325.

h) In praestantissimi Operis: *de Cantu et Musica sacra* typis Sanblasianis 2. Voll. in 4. mai. editi 1774. Tomo I. p. 534. qui liber inusitata quadam eruditione conscriptus, arguit summam *Celsissimi Auctoris* industriam in excutiendis



Ergo fatis mature cereus in sollempnitate paschali adhibitus est: sed eius consecrationem posterior aetas inuexit, et paullatim crescente magis talium rerum studio, nouis ceremoniis mirifice auxit: quam consecrationem ab ipsius *Cerei* origine distinguendam esse, obliuisci non debemus.

Frustra enim IAC. GRETSERVS¹⁾ et alii, huius *Cerei* origines ex primis Christianorum temporibus deriuare uolunt, quum illi propter publicas et diras uexationes, in ipsorum innocuum coetum excitatas, cogebantur statim ante lucem conuenire, ut Christo Deo carmen dicerent. Etsi enim ueteres Christianos Dei cultum nocturnis conuentibus celebrantes, non est uerisimile in tenebris absque luminibus fuisse uersatos: cereis tamen eo tempore haud uidentur usi fuisse, certe non iis, quos aliqua superstitiosa consecratio, quemadmodum postea, foedauisset. Nec uero in ritibus *Vigiliae paschalis*, quales ante Constantini M. tempora obtinuerunt, quidquam fuit, quod *Cereo Paschali* natales praebere potuerit.

His antiquitatis ecclesiasticae monumentis. Oportet *Celsiss. Auctorem* egregie uersatum esse in scriptis eorum, quos Heterodoxos dicit, quippe quos creberime allegat, et de iis iudicium facit plenum humanitatis et moderationis. Ipse id sum expertus. Nam T. I. p. 113. laudat diss. meam: *de Formula uet. eccl. psalmodica Halleluiah.* an. 1762. P. P. et delatus post ea ibidem pag. 122. ad aliam quandam mearum dissertationum, eam, quam: *de Prece*

Hosianna eiusque in Liturgia usu an. 1766. uulgaueram, offensusque quod ibi scripseram, *Hosianna* tanquam uocem laudis in Canone *Missae Gregoriano* inepte adhiberi, quum id precem contineat de auxilio diuino, in subiecta annotatione suam a me distentum haud acerbe, tantaque eruditionis copia declarauit, ut adpareat, eum studiose nostram scripturunculam totam perlegisse.

¹⁾ Lib. I. de Festis c. 25. Opp. T. V.

*) De

tuerit. ^{k)} Veterum enim Christianorum Vigiliae tales erant, quales Iudaeorum in profectis noctibus Paschatos, Pentecostes, aliorumque festorum: ad quarum sunt exemplum institutae. Confluebant ad preces fundendas, ad hymnos decantandos, ad sacras lectiones audiendas, et in his pietatis exercitationibus ad feram usque noctem perseverabant, ne Christi aduentu dormientes opprimerentur. Quo in officio nocturno, quum lumina necessaria essent, eos non tam cereis, quam oleo usos fuisse ex EVSEBII ^{l)} de Narcisso Hierosolymitano uidetur colligi posse narratione. Sed Constantini M. temporibus, quum pax et quies contigisset ecclesiae, ita nox ista splendere coepit, ut antea modo aurora praeluxisset, tunc dies clara successisse uideretur. Nam accensi tunc per eam noctem cerei, omnia in templis lumine suo collustrabant: et cantionum suauitas aures circumsonans, tanquam flumen gaudii quoddam in animos infuebat. Eleganter describit huius consuetudinis rationem et morem PRUDENTIVS. ^{m)}

Pendent

^{k)} De ueterum *Vigiliarum* usu erudite disputat FRANC. MARIA FLORENTINVS ad Martyrologium Hieronymo tributum *Exercitat.* II. pag. 195. et nos rationem et morem huius consuetudinis, nec non praecipuos auctores, qui de ea exposuerunt, breuiter strictimque indicauimus, in diss. nostra: *de Constantini M. religione Paschali* ap. 1758. P. P. pag. 12. 13.

^{l)} Hist. Eccl. I. VI. c. 9.

^{m)} Hymno *ad incensum lucernae*

uersu 141. Habent quidem nonnullae Prudentii editiones et legit *Iac. Gretzerus*: ad incensum Cerei Paschalis. Sed ut tacem docuisse *Weizium* Prudentii editorem, titulum hymni a recentiore manu additum, reperit IAC. SIRMONDVS in Not. ad *Ennodium* genuinam esse inscriptionem: *ad incensum lucernae* ostenditque, hymnum, non ad *Cereum Paschalem*, sed ad ignem esse referendum, qui quolibet sabbatho e filice extunditur, ad luminaria in templis accendenda.

B

*Pendent mobilibus lumina funibus,
 Quae sub fixa micant per laquearia
 Et de languidolis fots natisibus
 Lucem perspicuo flamma iacet uitro.
 Credas stelligeram desuper aream etc.*

Sed hic splendor Vigiliae paschalis non se intra spatia templorum continuit. Exemplum enim a Constantino M. datum, quod EUSEBIUS *) narrat, mouit atque impulit Christianos, ut quod adhuc in solis templis fecissent, id etiam extra illa in vicis et compitis magnarum ciuitatum facere instituerent, luminibus ibi magno numero in paschali nocte accendis. Memorat enim Parens historiae ecclesiasticae, quomodo Constantinus M. aliquando Vigiliam paschalem celebrans, eam conuerterit in diurnum splendorem, uel quouis splendidissimo die reddiderit splendidiorem, accensis tota urbe cereorum quibusdam columnis. Quod post ea multis aliis in locis, in quibus iam receptum fuerat per Vigilias praecipuarum sollempnitatum accendere cereos, Christiani certatim uidentur imitati fuisse. Nam ab illo tempore hunc morem passim usurpatum esse, ut in ea Vigilia omne

denda. Praeter ea docuit I. A. SCHMIDTIVS in Progr. de *Cereopasch.* Carmen PRUDENTII ipsum, inscriptionem libri *Cathemerinon* h. e. quotidianorum seu diurnorum, et ipsa quoque declarare *Postae* uerba, quibus hoc agit, ut ad accensionem lucernae, animum ad ueram extollat laudem: cantilenam esse quotidie sub noctem ad incensum

lucernae concini solitam, adeoque Cereum Paschalem aetate Prudentii ignoratum. Quamquam haud negauerim, *preces lucernarias* et *psalmos lucernales*, ab antiquis scriptoribus *ritibus paschalibus*, si non semper, plerumque tamen adnumerari. Adlata eam in rem haud pauca a nobis sunt in Progr. de *Const. M. religione paschali* 1758. P. P.

omne genus hominum, priuatim quantos quisque posset cereos in argumentum suae laetitiae ac pietatis accenderet, ex GREGORIO NAZIANZENO^{o)} cognoscimus: qui uerba faciens in ipso Paschatos festo pro concione, illud praedicat laudibus, quod publice priuatimque omnes, qui uel magistratu uel dignitate aliqua conspicui essent, noctem proximam copiosis ignibus collustrassent. Hinc est quod in confinio Cappadociae episcopus GREGORIUS NYSSENSIS^{p)} de hac lucida nocte loquens, eam dicit propter lampadum lumina, cum radiis matutini solis commixta, unum continuum diem, nullo tenebrarum interiectu diremtum effecisse. Μίαν, inquit, κατὰ τὸ συνεχές ἡμέραν ἐποίησε, μὴ διαμεριδῆσαι τῇ παρενδήμῃ τοῦ σκότους.

Ita, quod initio imperauerat necessitas antelucanorum conuentuum, id in niniā denique magnificentiam et paene luxuriam abiit. Difficile omnino est primam occasionem et originem *Cerei Paschalis* definire, propter ea quod initio hic ritus nec in omnibus ecclesiis est receptus, nec in quibus receptus erat, apud eas omnes aequali modo uigebat. Nihil de tempore, quo coepit, memoratur a Scriptoribus antiquis: recentiores autem

B 2

in

pag. 18. Putant uerba POETAE, quae sequuntur: *Lumen quod famulans offero suscipe tinctum pacifici chrisimatis unguine ad Cereum Paschalem spectare*, sed Victor Giselinus in edit. *Weiziana* p. 433. notauit; *lumen aeternae spei, non corporales per fenestras emicans sed quod puris intus relucet mentibus debere intelligi, spirituale sc. ab igne Spiritus S. accensum et gratiose tinctum.*

n) *De Vita Constant. M. I. IV. c. XXII.* in quem memorabilem locum an. 1758. *Exercitationem de Constantini M. religione paschali* publice proposuimus.

o) Orat. XXXXII. i. e. secunda in Pasch. Opp. T. II. p. 676.

p) Orat. IV. in Pascha Opp. ex edit. Paris. an. 1638. pag. 436.

q) Modo

in adstruenda eius antiquitate uehementer ineptiunt, quorum adhuc repertus est nemo, qui ea in re certi quidquam adferret.

Cereum Paschalem non fuisse a PRUDENTIO ^{q)} laudatum hymno peculiari, eundemque illum ignotum fuisse AMBROSIO ^{r)} HIERONYMO ^{s)} AVGVSTINO ^{t)} sine ulla dubitatione possumus adfirmare. Quod si pronuntiandum est in re tam obscura, nolim accedere MARTINO CHEMNITIO ^{u)} et IOACH. HILDEBRANDO ^{v)} qui splendidam illam Saec. IV. Vigiliae paschalis cele-

q) Modo enim ostendi Not. m.) antecess. hymnum Prudentii, qui inscribitur: *ad incensum lucernae*, non esse ad *incensum Cerei Paschalis* ut alia exempla legunt Poetae huius. Prae aliis id prolixè persequutus est IOH. FAES libro de *Cereis baptismalibus uet. Christianorum* pag. 167. docuitque aeuo Prudentiano *Cereum Paschalem* non arfisse, licet id tradant Verus Ordo Romanus, Baronius, Gretserus et Hymnarium Romae 1687. excusum, nec Saec. IV. iis ceremoniis, quae post, *Cereum* illam consecratum fuisse.

r) HONORIUS *Augustod.* in Gemina animae et DURANDVS l. I. Ambrosium episc. Mediolan. aiunt formam benedictionis *Cerei Paschalis* composuisse. Sed quam temere id dicant, ex eo intelligi potest, quod addunt Zosimum P. R. longe Ambrosio aetate posteriore, primum iussisse *Cereum* benedici. Ceterum Formula Consecrationis, quae Ambrosio adscribitur, habet quidem in principio eadem uerba, quae formula Romana: sed reliquus textus longe diffidet.

s) Retulerunt inter Opera HIERONYMI T. 2. edit. Basil. 1516. p. 168. *Epistolam ad Praesidium de Cereo Pasch.* in qua significat rogatum se, ut de hac re commentaretur, maluisse rem ad colloquium disferre, ut si quid forte nesciret, id in alterius aure moretur. Cui Epistolae detraxit larum *Erasmus*, ostendens, non ab uno eodemque homine illam scriptam esse: qui priorem eius partem scripsisset, hominem nec in-eruditum, nec infantem, aemulatum esse stitum Epistolae ad Heliodorum, tamen non caruisse febri. Quare in editione *Benedictiniana* Opp. *Hieronymi* a MARTIANAY curata, Epistola haec in Append. i. e. T. V. p. 146. reiecta et inter spuria et supposititia relata est, quae iste Tomus omnia complectitur.

t) In uer. *codice Gallicano* et compluribus aliis ab EDM. MARTENE de antiq. eccl. discipl. l. I. citatis et in *Gothico Missali* Biblioth. P. P. de la *Bigne* Paris. Tomo VI. itemque in aliis *Missalibus* aetate mille annorum haud inferioribus a Card. IOS. THOMASIO edius

celebrationem, putant *Cereo* huic *Paschali* occasionem dedisse. Adfentiar potius HENR. VALESIO, *) circumspēcte scribenti, *novas*, seu columnas illas cereas, quas a Constantino M. Eusebiius prodit esse aliquando adhibitās, *Cereum Paschalem* optime designare: quippe qui tum ipse habet columnae formam, tum candelabro in columnae speciem formato solet imponi.

Zosimum P. R. Saec. V. ceremoniae auctorem fuisse tradit PONTIFICALE, quod ANASTASIO v) *Bibliothecario* tribuitur,
B 3 et

editis legitur: „Benedictio Cerae B. Augustini, quam adhuc Diaconus quum esset, edidit et cecinit feliciter: *Exultet iam angelica turba caelorum* etc.“

n) Exam. Conc. Trident. Part. IV. pag. 216. edit. Iohannis.

v) De sacris publ. pr. Eccl. tit. de Vigiliis.

Dicit *Martene* fauere opinioni eorum, qui eam benedictionem Augustino tribuant, quod AUGUSTINUS l. XV. de *Ciuit. Dei* c. 22. scribat: *In laude quadam cerei breuiter uersibus dixi:*

Haec tua sunt, bona sunt, quia tu bonus ista creasti

Nit nostrum est in eis, nisi quod peccamus amantes.

Ita legunt omnes Codd. Mss., ut Benedictini obseruant: sed editi ante Maurianam habent: *In laude quadam Creatoris*. Ipsi quidem uersus non reperiuntur in Praeconio paschali, h. e. praefatione canonis. Habuit Saeculum VI. alios Augustinos, Nebiensem, Augustodunensem. Hipponensis autem a Valerio episcopo, laicus adhuc, et ob eam quoque causam relucians et lacrymans, fuit ordinatus Presbyter, nequaquam *Diaconi* officium exercuit.

x) In *Notis* ad Eusebii c. 22. Lib. 4. de Vita Const. M. „Christiani, inquit, in Vigilia festi Paschalis maximam cereorum copiam accendebant. Quod quum intra ecclesiam tantum facerent, Constantinus M. etiam extra ecclesiam cereos passim accendi iussit in honorem tantae festiuitatis. Quumque in marginis ciuitatibus lamina accendi solebant in compitis: Constantinus ea nocte multo plures ac maiores cereos noluit accendi; ut Gentilium animos ad christianae religionis uenerationem perduceret. Porro columnae illae cereae, quas memorat Eusebius, *Cereum Paschalem* optime designant, quem in *Vigilia paschali* accendere solemus.“

y) In Vita Zosimi ad an. 417. AMALARIVS l. I. c. 18. MICROLOGVS c. V. Pontificale Apamense, Missale Tolosanum, et alia monumenta apud Martene l. 1.

x) BENE.

et uolunt alii Scriptores complures, ii maxime, qui media aetate de *diuinis officiis* haud pauca, ingenio tamen parum felici, congefferunt. Verum ipsi ecclesiae romanae doctores non a Zosimo demum hunc ritum institutum esse dicunt, sed Zosimum ecclesiis parochialibus etiam consecrandi *Cerei Paschalis* potestatem fecisse, quum antea in maioribus duntaxat basilicis consecrari et accendi solerent. *) Intelligitur autem cur hoc contendant, ut nimirum ritum antiquiorem faciant. Multo rectius negat ex Romanensium coetu IO. GRANCOLASIVS **) scriptis liturgicis satis clarus, ullum exstare uestigium *Cerei Paschalis* ante ENNODIVM *Ticinensis* ecclesiae Saec. VI. episcopum ^{b)} cuius ad nos peruenit biga *benedictionum Cerei Paschalis*, perquam ineleganter scripta illa, et ante *Concilium Toletanum* IV. Saec. VI. habitum. ^{c)} Sed testimonia, quae pro antiquitate ritus ab his adferuntur, quum partim non sint ex illis temporibus, partim alio dicta concilio, partim denique arguant moris non ubiuis recepti ampliationem:

*) BENEDICTVS XIV. de *Festis Christi* pag. 168. et Edict. XIX. Tomo 2. MERATVS ad Gauanti Thesaur. sac. rit. p. 1149. et scribit GRETSERVS adlatis uerbis Pontificalis: *Nihil hic de institutione uel ritus, uel Cerei ipsius.*

a) Comment. histor. in *Breuiar. Romanum* Lib. II. c. 66.

b) Duae deprehenduntur inter ENNODII *Opera Cerei Pasch.* benedictiones, quas, quum adhuc esset Diaconus, composuit *Opuscul.* IX. et X. Opp. IAC. SIRMONDI ex edit. Venetiis repetita T. I. pag. 1043. et 1046.

c) Concilii huius Canone IX. Tomo VI. *Concilior. Collectionis* ex edit. Coleti pag. 1454. leguntur haec praecepta: *Lucerna et Cereus infra uigilias apud quasdam ecclesias non benedicuntur et a nobis cur benedicatur inquirunt. — Et quia haec obseruatio per multarum loca terrarum regionesque Hispaniae in ecclesiis commendatur, dignum est propter unitatem pacis, ut in Galaecianis ecclesiis conferuetur.*

d) Prodit CLAYDII DE VERT *Explication simple, litterale et historique des*

tionem: parum profecto faciunt ad originem aut occasionem ritus definiendam.

Itaque adridet mihi sententia CLAUDII VERTI^{d)} qui bene ac sapienter statuit, ritus ecclesiae romanae ita interpretandos esse, non ut excogitentur mysticae significationes, sed ut propriae causae reddantur, physicae atque historicae. Ipse igitur *Cereum Paschalem* non alia de causa putat institutum esse, quam quod nocturnis ceremoniis peragendis lumine opus esset, nec sine cereo praelato posset noctu ad baptismalem fontem processio fieri.

Ergo quaestione omissa de tempore introducti Cerei Paschalis, progrediemur iam ad cognoscendam eius *Consecrationem*. Quae primis temporibus haud ita magno ceremoniarum tantum adparatu est facta: sed paulatim sic multitudine illarum crevit, ut intelligere facile possimus, hunc ritum in ecclesia olim praeter caeteros longe maximi habitum fuisse. ^{e)} Qui ad praec-

des Ceremonies de l'Eglise Parisis 4. Voll. an. 1713. in 8. Vehementer irascitur homini BENEDICTVS XIV. de Festis Christi p. 169. et laudat Episcopi Sueffionensis libellum. Verto oppositum de vero ecclesiae sensu in sacrarum ceremoniarum usu, existimans, Cereum Paschale in Sabbatho Sancto, non ad naturalem causam referendum esse, sed ad Mysterium, quod pulcre, ego vero putarem satis inepte, a Ruperto Tut. Abbate explicatum sit.

Dei externus per uaria symbola et imagines tractari coepit, ecclesiarum praefides, mox pii et Deo deuoti contentione animi, mox singulari quodam casu moti, certas ceremonias precesque addendas putarunt; quas illorum successores uelut legem cum tantis perlaepe accessionibus ad posteros transmiserunt, ut ad intentos cultui diuino interno, parum uel nihil utilitatis peruenerit. Ita etiam res se habet cum *Cereopaschali*, cuius constat ceremonias succedente tempore mire creuisse, atque adeo illa mysticarum interpretationum portenta apud

^{e)} Ex eo scilicet tempore, quo cultus

praeclara illa monumenta ingenii adornanda, *Liturgiam Ate-
nicam* dico, et *Opus de Cantu et Musica sacra*, pluteos antiquarum
bibliothecarum non tantum in patria nostra, sed etiam in Italia
et Galliis excussit, *Celsiff. Abbas Sanblasianus*, MART. GERBER-
TVS, fatetur, se *Cerei Paschalis* benedictionem, quae cum dulci
modulamine canatur, omnium frequentissime inuenisse. ^f) Ma-
gno ea res argumento et documento est, quam sedulam operam
in stabilienda et conseruanda aurea hac ceremonia iam olim de-
derint, qui sacris in romana ecclesia operantur. Ipsam autem
consecrationis ceremoniam omnem ita describemus, ut sequenti
maxime Ordinem Romanum, ^s) praecipua modo ex Officio-
rum diuinorum Scriptoribus adferamus, siue illa ubique obser-
uari soleant, siue minus.

Cereo,

apud *Rupertum Tuit.* et *Durandum*
loc. supra laud. peperisse.

Habet GREGORII M. liber *Sacra-
mentorum*, si euolueris praescriptiones
et formulas ad officium in Sabbatho
sancto spectantes, nihil, quod pertineat
ad *Cereum Paschalem* eiusque *consecra-
tionem*. Sed qui *Sacramentarium* No-
tis illustratum edidit HUGO MENAR-
DYS curauit, ne desideraretur cere-
monia e praecipuis una, et cui dignitas et
conciliari et conseruari debeat. Quare
satis longam disputationem de *Cereo*
Paschali exhibet pag. 344. T. III.
Opp. *Gregorii M.* ex edit. Benedict. e
Congr. S. Mauri, modo ut augustiora
initia ritus faciat et doceat, haud negle-
ctam a Gregorio fuisse hanc benedictio-
nem *Cerei Paschalis* cuius praeludium

est: *Exultet iam angelica turba cae-
lorum*, se enim in aliis Sacramentariis
eandem reperisse.

Cuius *Praeludii* seu *Praefationis*,
quae in benedictione *Cerei Paschalis*
canitur auctorem quidem tradit esse
GREGORIVM M. LEODEG. MAYER
Explic. Cerem. ecclesiast. p. 478. Sed
quo teste id faciat, equidem non intel-
ligo. Interim Mayerus eo nomine lau-
dem meretur, quod omnem curam,
quae in isto ritu hodiernum magna et
multiplex adhibetur, perspicue et bre-
uiter enarrat, nec ineluciter obscuras
nonnullas istius *Cantici seu Praefationis*
sententias explicat, ostendendo uoca-
bula: *Incesum*, *Columna*, *Lampas*,
quae ibi occurrant, esse uoces symony-
mas,

Cereus, qui est benedicendus, ex candida cera parato, ignis extra templum accendendis carbonibus uel excutitur de lapide, uel elicitur ex crystallo soli obiecta. Sacerdos progressus de sacrario ante portam ecclesiae, aut, si hoc fieri commode non potest, in ipso templi aditu, nouum hunc ignem, et praeter ea quinque grana incensi, ponenda in Cereo, benedicit. Tum Diaconus accepta arundine, quae in summitate habet candelas tres^{b)} forma triangulari dispositas, eas unam post aliam, uicibus diuersis, in ecclesiae medio et ante altare accendit. Accendit etiam ex eodem igne septem lampadas, ante idem altare. Post ea cereus magnus candelabro impositus ante altare statuitur: cui sacerdos, facto signo crucis, de nouo igne accendens, consecrationem decantans benedicit.^{c)} Eius consecrationis carmen ita incipit:

mas, quae *Cereum Paschalem* significent.

f) De Cantu et Musica sacra T. I. pag. 534

g) Multitudo me deterret ceremoniarum et formularum apud MABILLONIVM T. II. *Musei Ital.* et apud EDM. MARTENE de *ant. rit. eccl.* T. III. quominus hac in re uelim esse prolixus. Et fastidit uehementer animus repetere quidquam ex GAVANTI *Theaur. sacr. rit.* et ex MERATI ad eum *Notis*, id est, notare multas ceremonias a scopo meo abhorrentes.

h) Multam operam impendit in acquirenda antiquitate huius arundinis MERATVS in *Notis ad Theaur. Gavanti*. p. 1143. ut quis fuerit eius auctor

et cui Saeculo inuentionis gloria debeatur, compertum habeat. Similia dicitur BENEDICTVS XIV. de *Festis* p. 168. inani sane studio. Rectius uertus T. 2. *Explic. Ceremon. eccl.* p. 132. ostendit candelam in tres ramos diuisam baculo circumuolutam fuisse, quod antiqua Ceremonialia dixerint: *Ponere candelulam in modum serpentis seu colubri*. Talis baculus in summitate tres gestans candelas in figura aenea *Ceremonialis Episcoporum*. Rom. an. 1651 in 4to mai. editi pag. 348 tridentis haud absimilis adparet.

i) DURANDVS l. 1. putat *benedictionem* ideo necessariam esse, quod cereus non possit nisi per illam ex simplici sua natura transire ad significationem mysterii *columnae ignis*. Ceterum feruunt

C

cipit: *Exsultet iam angelica turba caelorum, exsultent divina mysteria.* Semel atque iterum abruptitur cantantis in ambone oratio: primum quando infigit in Cereo, in modum crucis, quinque grana incensi: tum, quando accendit ipsum Cereum ex unarum candelarum, quas triangula forma in arundine positas diximus. Cereo ita iam accenso et benedicto, statim accenduntur eius igne alii duo cerei, qui candelabris impositi, dextra sinistraque illi adstant, similiterque omnia reliqua templi luminaria, quoniam uetus ignis, qui hucusque ardebat, nunc omnis exstingui debet.

In hac tanta cura et ceremonia comparandi noui ignis, uideor mihi deprehendere imitationem aliquam ritus a Gentilibus accepti, *) et illius miraculi, quod Orientis Christiani quotannis in Sabbatho Magno fieri credunt, lumine de caelo in facrum sepulcrum delabente. Nam mense Martio, qui olim apud Gentiles anni principium erat, et medio adhuc aeuo apud nonnullos Christianos annum incipiebat, et paschalis censebatur,

Genti-

uant eandem benedictionis formam omnes libri Missales Eccl. Romanae. Sed libentius eam legas ob typorum elegantiam in MISSALI ROMANO Venetiis 1756. impressio, ubi etiam Notae musicae additae sunt, ad quas decantatur. Habent AGENDORVM libri hanc ignis et ipsius Cerei benedictionem, ut Moguntinensis ille Sebastiani Archiep. editus an. 1551. p. 109. et 112. Treuirrensis. p. m. 110. Würzburgenis p. 182. Omnium autem rituum ea in re,

plenam enarrationem habes in *Ceremoniali Episcoporum*. lib. II. c. 27. p. 345.

*) Rituum ecclesiae Rom. cum Gentilibus conuenientiam ostenderunt peculiaribus scriptis: Valkenier, Musedard, Middletonus, Hambergerus: nec ignoramus Gregorii M. peruersum studium, postquam inuocandi in ecclesiam ritus quosdam Gentiles.

1) *Saturnal.* l. I. c. 12. p. 242. edit. Gronou. Id religioni suae consentaneum proficitur CAEL. RHODIGINVS *Lez.*

antiq.

Gentiles in Deae Vestae aris nouum ignem accendebant, quasi denuo incipiente cura, ut MACROBIUS ^{l)} ait, seruandi nouati ignis. Plane similem in modum in Vigilia Paschali nouum ignem appetunt ecclesiae romanae addicti, ut nouo incipiente officio in Domini resurrectione.

Illud quidem certum est, Latinos Graecis inuidentes, et eorum gloriam propter miraculum ignis paschalis aemulatos, hoc instituisse, ut in Sabbatho Sancto nouus ignis pararetur et benediceretur, ex eoque accenderentur extincti antea cerei et lampades. Nam ipsi ecclesiae romanae doctores agnoscunt, ^{m)} hoc ritu exprimi aliquam similitudinem illius miraculi, ne memoria eius intereat. Est autem hoc miraculum tale: ad uesperam eius diei, quae diem festum antecedit memoriae Iesu de mortuis redeuntis sacrum, quotannis praesente ac spectante prodigium inenarrabili hominum undique confluentium multitudine, lumen de caelo delabi aiunt in locum, in quo exanime Christi corpus iacuit, extinctasque antea in aede magno numero lampades re-

C 2

pente

antig. l. 15. c. 14: „Quod uero scitu
„dignum est, inquit, nostraeque reli-
„gioni consentaneum, mense Martio
„quotannis innouabatur ignis in templo
„Vestae: quod in Fastis canit Ouidius

*Adde quod arcana fieri nouus
ignis in aede*

*Dictur, et uires flamma resecta
capit*

„Neque ex altero igne lucernas sacras
„succendere fas erat, sed nouum et pere-
„grinum elici oportebat, accensa ex sole

„flamma pura, immaculata, uasis quae
„scaphula uocabant, quae ratione ista sic
„concinnabantur excauata, ut radiis
„solaribus hinc inde coniectis in cen-
„trum, arida materia apposita, confe-
„stim promicaret ignis.

^{m)} Vt inter alios CAL. MAR. MERA-
TUS in *Notis ad Grauenti Thesaur.*
sacr. rit. librum fere symbolicum ecclesiae
suae, eumque Romae impressum, p. 1142.
ubi putat, noui ignis benedictionem in
ecclesia Romana fieri ad normam illius
miraculi,

pente inflammari. ⁿ⁾ Huic prodigio Graeci Christiani omnes in Oriente fauent, licet alioquin studiis, opinionibus et ritibus uehementer discrepantes. Etiam Latini fauerunt, ut satis ex eo patet, quod Saec. XI. Vrbanus II. P. R. in Concilio Claremontano bellum pro recuperando sacro sepulcro suadens, languentes Francorum animos huius miraculi praedicatione accendere studuit. ^{o)}

Consecrationem autem Cerei finit sacerdos hac formula: *Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos tuos, omnem clerum, et deuotissimum populum, cum beatissimo Papa, gloriosissimo rege etc. in his paschalibus gaudiis conseruare digneris.* ^{p)}

Candelabrum, cui *Cereus* iste imponebatur, erat in multis ecclesiis lapideum uel ligneum, forma columnae, haud nudum ornamentis. ^{q)} Ipse autem *Cereus* longe pluribus ornamentis decorabatur. Praecipuum erat Crux, itidem cerea, quam ple-
rumque

miraculi; et institutam esse, ut illius memoria conseruaretur.

ⁿ⁾ Bene totam scenam exposuit, et rectum de ea iudicium tulit, qui Schreiberi, Schrammii aliorumque industriam longe superat IOH. LAUR. MOSHEMIVS Commentatione *de Lumine S. Sepulcri* Helmst. 1736. edita et inserta *Opusc. ad Hist. Eccl. pertinentium* T. II. p. 211.

^{o)} In *Oratione*, quam eo in Concilio habuisse legitur apud THEOD. RIVINARTVM in *Vita Urbani II* T. 3. Opp. posthum. Mabill. et Ruinarti p. 370. sic ait: *Neque enim ibi Deus hoc amuationem praetermittit facere miraculum, cum in diebus passionis suae, extinctis omnibus, et in sepulcro, et in ecclesia circum circa luminibus, iurare diuino lampades extinctae reaccendantur* — —

bestialis homo et insulsi capitis est, cuius cor uirtus diuina tam praesens ad finem non uerberat.

^{p)} Adnotat DOMINICVS MACER in *Hierolex. v. Cereus Pasch.* si imperator nondum sit coronatus, ei tribui *electi* titulum; si uita functus, mutari uerba in hunc modum: *Respice ad Romanum imperium*, cuius tu Deus fidelium uota praenoscens etc. ut factum est an. 1519. et 1658.

^{q)} Visuntur adhuc eiusmodi candelabra in antiquis ecclesiis Galliae, memoraturque in *Obseruatt. ad Ritum eccl. Laudunensis rediuinos* pag. 824. cerni tales in Laudunensi.

MACER in *Hierolex. u. Cereus Pasch.* narrat, Romae in ecclesia S. Paulli extra muros, columnam esse, quae quondam inferuierit pro Cereo, nunc extra templi portam conspiciatur erecta crucem sustent-

rumque Cereo adglutinabant: in cuius crucis extremitatibus grana incensi quinque, antea benedicta, in modum crucis erant impressa. *) Nec minus ornamentum praebebat B. Mariae Virg. imago, quae nonnunquam in columnae medio collocari solebat.

Aliud ornamentum erat adpenfa *tabula* uel *scedula*, *paschalis* uulgo nuncupata; item adpenfi laterculi, quos Breues adpellant: quorum laterculorum unus rationem indicabat, ad quam officium suum annuum Clerici ordinarent. Alii autem laterculo, uel etiam ipsi *Cereo Paschali*, moris erat inscribere Epochas, seu Aeras memorabiles, scilicet conditus mundi, Incarnationis, Natiuitatis Christi, Pontificatus Papae, Episcopi, fundationis ecclesiae; tum Cyclum Indictionis, Aureum Numerum, Epactas: denique Festorum mobilium ordinem etc. *) Atque hunc morem iam Saec. VII. usitatum fuisse, BEDA *Venerabilis* prodit. *)

C 3

Quam

sustentans, in eiusque basi hos uersus legi:

Arbor poma gerit: arbor ego lumina gesto:

Porto libamina, nuntio gaudia: in hoc die festo

Surrexit Christus: nam talia lumina praesto.

*) Quo grana haec ordine ponantur, figuram depingit MERATVS ad *Gauant. Thef. f. Rit. pag. 1151.*

s) Hic mos antiquus uidetur desisse, ex quo Calendaria ecclesiastica scribi, denique typis uulgari consueuerunt. DV FRESNIUS in *Glossario med. et inf. Latinit. u. Cereus*, tabulam exhibet, *Cereo Paschali* adpenfam an. 1327. in Gallis, quam repetit LEODEG. MAYER l. I. in qua tabula haec leguntur:

Anno ab origine Mundi	6526.
— ab Incarnatione Domini	1327.
— a Passione Domini	1294.
— Indictionis — — —	10.
— susceptionis coronae spineae	88.
— sanguinis Domini, cum Lacte B. Mariae Virginis et superiori parte capitis Iohannis Baptistae	87.
Anno susceptionis S. S. Ferri et Lanceae, cum linteo, quo Christus fuit praecinctus in coena	79.
An. Dedicationis Capellae	87.
— Transitus Ludouici	57.
— aetatis Caroli regis	32.
— regni eiusdem —	6.
— episcopatus Hugonis Paris.	2.

2) Lib. de Temp. rat. c. 45. scribit: *Ecclesia — — — ipsis testatur indiculis,*

Quam diu *Cereus* durare debeat, non eodem a Scriptori-
bus omnibus modo est determinatum. In aliis ecclesiis per Octa-
uam Paschatos accensus fuit: in aliis a Sabbatho Sancto ad se-
cundas paschales uesperas continenter arsisse narratur: in aliis
accensus est singulis diebus dominicis usque ad festum Ascen-
sionis Christi in caelos. Si debebat per longum tempus ardere,
oportebat ingentem Cereum et durabilem formari: qualem in
ecclesia Turonensi factum fuisse constat. Qui quod magnitu-
dine similior erat columnae quam candelae, in ipsa formula
benedictionis adpellabatur columna. *)

Solebant autem ex *Cereo* decerptae particulae populo Do-
minica in Albis depositis, distribui, unde fuffitum in aedibus
facerent, uel agros aut uineas contra fulgurum ac tonitruum uim,
aut contra daemonum praestigias munirent atque defenderent.
Iam ENNODIUS *) loquitur de talibus particulis e *Cereo Paschali*
decerptis, easque pro stolidi sua superstitione aduersus procel-
las et saeuas tempestates commendat. Romae autem reliquias
Cerei Paschalis cum cera uirgine et oleo permixtas, consecrabat
Papa, unde conficiebantur quaedam quasi numismata: quae quod
agni caelestis imaginem impressam habebant, ut symbolum Chri-
sti patientis essent, *Agni Dei* uocari coeperunt: cuiusmodi *Agnos*
Pontifex Rom. a se consecratos, muneris loco distribuere, in-
terdum etiam ad absentes mittere solet. Graeci quidem, quum
aliquando ad ipsos tale munus fuisset missum, rem nouam mira-
ti, uix risum tenere potuerunt. y)

Nostra

lis, quae suis in cereis annuatim inseri-
bere solet, ubi tempus Dominicae passio-
nis in memoriam populis reuocat.

u) Pendebat eiusmodi *Cereus* in Car-
notensi ecclesia LXXII. libras, in Rhe-
menli XXX. iuxta Rituale eccl. Rhem.
an. 1637. Itaque intelligi potest mirae

magnitudinis eum Cereum fuisse, quem
in ecclesia oportebat diu ardere.

x) Duobus illis *Benedictionis Cerei*
Paschalis exemplis inuenistis supra al-
legatis, inter Opera *Sirmondi* reperiu-
dis.

y) De hac consuetudine consecrandi
ceras,

Nostra ecclesia, quae simplicitatem rituum primae illius et purioris imitandam putat, *Cereum Paschalem* et omnem eius ceremoniam sapienter improbauit ac repudiauit. Nam remota figura rem, sublata umbra corpus ipsum in ea regnare, scimus atque intelligimus.

Viuus et aeternus Deus ac Dominus noster IESVS CHRISTVS, lux illa uera est, quae nos, discussis spiritualibus tenebris, illuminat, et ab erroribus liberat. Ipsa illa Lux omnes homines, qui susceperant et in animis admiserant Christum, omni scientia illustrauit, et Apostolos accendit, ut essent lumen omnibus, eorumque animos illuminarent uirtute diuini Spiritus, quam ipsi plena miraculi ratione acceperant tempore *Pentecostali*, cuius nunc memoriam celebramus.

Eadem illa Lux unumquemque nostrum in baptismo illustrauit. Ideo baptismum τὸ Φατισματος μυστήριον Veteres adpellabant. Itaque uere dignum et iustum est, aequum et salutare, ut quum in euangelica hac luce uerseremur, etiam recto itinere semper ambulemus, et recte faciendi studium nostrum, omnibus clare demonstramus.

In hac igitur sollempnitate, CARISSIMI CIVES, quae adorationi et cultui DEI SPIRITVS SANCTI et memoriae effusionis eius in Christi Apostolos dicata est, uanos existimemus externos illos ritus, a maioribus nostris optimo consilio abrogatos, et potius animos nostros ad pietatem exerceri, quam templa et aedes nostras cereis, floribus, betulis ac frondibus Pentecostalibus

ceras, quae *Agnus Dei* adpellantur, agit PROSP. LAMBERTINVS post *Benedictus* XIV. de *Canonizat.* S. S. l. 4. P. 2. cap. 20. ubi et de eorum ui ac uirtute disserit. Ritus referunt ad morem illum distribuendi Fidelibus particulas e *Paschali Cere*o detractas. GYL.

DVFRANDVS L. VI. c. 79. *Hac die Acoluthi rom. eccl. faciunt agnos de cera noua benedicta, uel de cera Cerei Paschalis anni praecedentis admixto chrismate. Qui agni in Sabbatho in Albis per Dominum Papam populis distribuuntur.* Vide quoque AMALARIVM l. I. de

costalibus exornari cupiamus. Μὴ ἀνθεοὶ σέσωμεν ἀγνίας, inquit GREGORIŪS NAZIANZENVS, *) uerba faciens ad populum in celebritate Pentecostes, μηδὲ τῷ αἰσθητῷ Φωτὶ καταλαμπέδωσαν οὐκίμη: ne floribus uicos cingamus, nec uisibili lumine domus splendent. Sed utamur, quod idem praecipit λύχνους τοῖς ὄλον τὸ σῶμα φωτίζουσι τὸ ἐκκλησίας, θεοῖς λέγω θεωρήμασι καὶ νοήμασι, ἐπίτε τὴν ἱερὰν λυχνίαν ἐγεγερμένοις, καὶ πᾶσαν τὴν οἰκὸν καταλάμπουσι. Μικρὸν μοι πρὸς τῆτο τὸ Φῶς, πάντα ὅσα ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ πανευρέζοντες ἀνάπτουσι ἀνθρώποι. *Viamur lucernis totum ecclesiae corpus illustrantibus, h. e. diuinis contemplationibus, quae super sanctum Candelabrum excitentur, atque uniuersum terrarum orbem luce perfundant. Parum, meo quidem iudicio, si cum hoc lumine comparentur, ea omnia lumina sunt, quae homines, qui festos dies agunt, priuatim publiceque accendunt.*

Huiusmodi cogitationibus etiam nos, CARISSIMI CIVES, animi religionem exerceamus, et laetis purisque mentibus celebremus dierum *Pentecostalium* sollempnia, qui memoriae maximorum beneficiorum, a Deo Spiritu Sancto nobis tributorum, dicati sunt. Praedicemus summum diuinæ caritatis donum publicis et precibus et gratiarum actionibus. Quid enim accipere maius possumus habendum, possidendum, fruendum, quam Spiritum Sanctum, qui mentibus nostris lumen suum perpetuo infundat. Libenter etiam ad altare accedamus, facturi oblationes pro iis, qui apud nos uerbum diuinum praedicant, et sacra administrant. P. P. in Acad. Vitebergenſi ipsis Vigiliis Pentecost. An. MDCCLXXVII.

de Diuin. Offic. c. 16. *Gangianum Glos-*
sarium u. Agnus Dei MERATVM ad
Gauant. Theſaur. rit. p. 1187. HONO-
RATVM de s. MARIA T. II. *Reflexio-*
num super Regulas crit. dissert. secun-

da, quae de Agnis Dei agit, quam rem peculiarari Tractatu persequutus est IOS. MAR. SVARESIVS.

*) Orat. IV. in Iulian. T. I. Opp. pag. 239.




ULB Halle
002 265 427

3



(f) 56.





RECTOR *Wiel* 13
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
GEORGIVS STEPHANVS
WIESAND 1777
RIS VTRIVSQVE DOCTOR PROFESSOR INSTI
VTIONVM ORDINARIVS CVRIAE PROVINCIA
LIS SCABINATVS ATQVE COLLEGII IVRE
CONSVLTORVM ASSESSOR 76

CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D
ET
D SACRA PENTECOSTALIA
PIE CELEBRANDA
INVITAT

IN EST DE CEREO PASCHALI

